

non raro honestas puellas, matronas probas, & Ecclesiasticos, natura & moribus continentissimos ad lapsum pertrahunt, quod ipsorum demonum tentamenta præstare non poterant, neque possent, nisi hujusmodi instrumentis adjuvantur. Quocirca etsi extremam punitionem temporalem hic apud Judicem sæcularem evadant, punitionem tamen divinam nunquam effugient.

XXVII. Non semper tamen arguendus est maritus, aut Lenocinii infimulandus, qui adulterium uxoris dissimulat, aut etiam tegit. Ubi enim adulterium uxoris non esset manifestum, nihilque de eo haberetur in ore & notitia vulgi præter incertam suspensionem, & rumulculum popularem, quem maritus suã prudentiã faciliã tueri possit & tegere, eo casu maritus uxori cohabitans, nequaquam de lenocinio ob dissimulatum adulterium uxoris est condemnandus *L. 17. Cod. Ad leg. Jul. De Adult.* Nam & hoc singulis à naturæ recto dictamine infertur, ut domesticos omnes, atque adeo uxoris propriæ vitia tegant, & probitatem tueantur sicuti possint & valeant, ait Damhouderus *cap. 92.* Quandonam maritus uxorem adulteram subinde ex lege saltem charitatis recipere teneatur, dixi *partie 2. tit. 15. cap. 2.*

XXVIII. De hoc crimine dicitur in Concordatis Brabantia *tit. 9. art. 23.* De crimine lenocinii notorii, ubi quis est lenocinior, no suã uxoris, uterque cognoscet, secundum qualitatem suã jurisdictionis, extra illum autem casum iudex sæcularis solus cognoscet & punit.

XXIX. Adulterium & stuprum subinde pro eodem sumuntur; dicitur lex *101. ff. De V. S.* quod lex Julia *De Adult.* indifferenter hoc verbo *stuprum* utatur: & tam in Jure Civili, quam Canonico sub eodem titulo agitur de adulterio & stupro. Attamen propriè adulterium in nuptam, stuprum vero in virginem viduamque committitur, ait *L. 8. §. 1. ff. Ad leg. Jul. De Adult.* Et in *L. 34. §. 1. ff. eod.* Adulterium in nupta admittitur: stuprum in vidua, vel virgine, vel puero committitur.

XXX. Gratianus post *Canonem 2. Caus. 36. qu. 1.* hanc stupri definitionem tradit: „Stuprum autem propriè est virginum illicita defloratio: quando videlicet non præcedenti conjugali pactione, utriusque voluntate virgo corrumpitur, patre injuriam ad animum statim post cognitionem non revocante.

Recepto hodie loquendi modo, etiam sub stupro comprehenditur defloratio viduæ honeste viventis; uti tradit Damhouderus in *Praxi rerum Criminal. cap. 94. num. 2.* dicens: „Est autem stuprum ordinarij crimen, quod in virginem, viduamque honeste viventem committitur.

XXXI. Pœna stupri simplicis citra vim commissi, nullique aggravantibus circumstantiis vestiti, de Jure Civili in personis honestis est publicatio dimidia partis bonorum in humilibus coercitio corporis cum relegatione §. ITEM LEX JULIA *Instit. De Publicis iudiciis.*

XXXII. Inter Canones Pœnitentiales à S. Carolo collectos habetur: „Si quis adolescens cum virgine peccaverit, pœnitentiam aget annum unum. „Item, Vidua quæ stuprum admiserit pœnitentiam aget annum totum, & præterea in altero anno dies jejuniorum.

XXXIII. Pro foro externo, pœna stupri lege Civili decreta, jure Decretalium mitigata est juxta responsum Pontificis in *Cap. 2. de Adult.* Pervenit ad nos (ait Pontifex) quod Felix quondam Virginem *stupro* decepit: quod si verum est, quamvis esset de lege pœnã plectendus; nos aliquatenus legis duritiem molientes, hoc modo disponimus, ut aut quam stupravit uxorem habeat: aut si renuendum putaverit, corporaliter castigatus, excommunicatusque in Monasterio, in quo agat pœnitentiam, detrudatur, de quo nulla sit egrediendi sine præceptione licentia.

XXXIV. Hæc mitigatio conformis apparet legi Moysaicae relatæ in *Cap. 1. eod.* ubi dicitur: „Si quis seduxerit virginem, nem nondum desponsatam, dormiveritque cum ea, dotabit eam & habebit uxorem.

XXXV. Hæc dispositio Juris Canonici quoad pœnam

stupri hodie in tribunalibus recepta est. Imo licet tam Lex Moysaica, quam Jus Canonicum stupratorem obligent ad duo præstanda, scilicet ad dotandum & ducendam virginem stupratam, consuetudo tamen *alternativam* induxit; relinquens electioni stupratoris, an dotare, vel ducere velit, uti post Julium Clarum notat Zypæus *Consilio 4. De Adult.* & *Stupro*: nisi tamen promissio Matrimonii accesserit: quæ quando copula accessit, facilius accedentibus aliquibus circumstantiis intervenisse præsumitur; uti ibidem monet Zypæus; additque, quod facilius stuprator simpliciter ad ducendum obligatus credi possit & condemnari: nam facile res redit ad suam naturam & jus primævum.

XXXVI. „Insuper tenetur Stuprator prolem alere, quam se ex eo concepit mulier juraverit tempore partus. Quia tunc ratione instantis periculi, non immemor suæ salutis, facilius accedentibus veritatem, nisi tamen illa jam ante ab alio fuerit cognita, aut postea plures admiserit, deque eo confiteri, & probet ipse. Nam præsumptio est pro muliere, secundum quam virginitas, utpote qualitas naturalis adfuisse præsumitur, & delictum abfuisse. „Perez. *ad l. Juliam. De Adult. num. 51.* & conformiter ad consuetudines Mechlinienses *tit. 18. art. 4.* & aliarum civitatum quas ad dictum articulum refert Paulus Christianus.

XXXVII. Hæc quidem si non concurrant speciales circumstantiæ aggravantes. Si enim stuprum committatur in virginem præteritam nondum viripotentem, etiam hodie de consuetudine videtur pœna mortis imposita; nisi circumstantiæ eam imminui faciant, puta quia stuprum quidem fuit attentatum, sed non consummatum, ut ex Joanne Fabro tradit Perezus ad Codicem *De Adult.* *num. 49.*

XXXVIII. Gravius quoque punitur tutor qui pupillam suã cautela creditam stupravit juxta *L. unicam Cod. si quis eam, cujus tutor fuit, corruperit*; „Crescit enim crimen propter perfidiam violentis eam, quam à corruptela immunitatem ultro præstare debet; cum tutor non tantum patrimonio, sed moribus regendis præponatur, ait Tuldenus ad citatum titulum Codicis.

XXXIX. Similiter tradit ex Joanne Fabro Tuldenus ad titulum Codicis *De Mulieribus que se propriis servis junxerunt*, Commentariensem, qui custodia suã creditam vitaverit, quamvis consentientem, capite plectendum. Cujus rationem esse credit Tuldenus, quod „Capta fidei curatodis creditur: quod is impressione potestatis facile consensum expresserit: imò quod illa commercio libidinis facilius corruptoris sui corruperit fidem, ad laxandam effugio cutodiam.

XL. Quidni & graviore pœna digni ludimagistri alique filiorum aut pueroꝝum directores, qui hæc, quos à corruptelis suã curã & vigilantia præservare debent, abutuntur, eosque corrumpunt.

XLI. Sacerdotum autem qui filias suas spirituales ad libidines provocant, iisque abutuntur, quis illorum scelus & sacrilegium sat æstimet meritoque Michael Rousseus *lib. 4. Hist. juris. Pontif. cap. 3. numer. 27.* postquam ex Riccio retulit, in foro Neapolitano, suspensum dumtaxat à cura sua fuisse Sacerdotem accusatum & convictum quod in actu confessionis mulieres sollicitaret ad turpia, pluribus deponentibus se tactu & signis ab eo sollicitatas fuisse; „exclamavit: „Indulgens sanè, aut potius ridicula pro qualitate criminis, nullo non supplicio in tanto sacrilegio digni pœnã: unde remitti debeat ad iudicem laicum, vel etiam flammis expiandus.

XLII. Stuprum subinde violentiam adjunctam habet; vocaturque stuprum *violentum*; dum nimirum vis aliqua corporalis puellæ infertur: puniturque ex lege Julia *De Vi*, uti notat Tuldenus ad titulum Codicis *De Raptu virginum*; dicitque pœnam hujus stupri cœpisse esse capitalem ex Constitutione Caroli V.

Verum credunt nonnulli, pœnam stupri *violenti* esse capitalem

capitalem ex dispositione Justiniani in *L. unica Cod. de Raptu virginum*; æstruuntque stuprum *violentum* sub *raptu* ex mente Justiniani contineri; quasi non tam ratio raptus ponatur in eo quod virgo per *violentiam* abducta fuerit à loco, quam quod per *vim* oppressa fuerit.

Hinc raptum dicunt, quoties honesta mulier aut virgo *vi* abducitur libidinis causa, aut per vim opprimitur. Damhouderus loco citato *cap. 97. num. 2.*

XLIII. Gratianus loco supra allegato dicit raptum admitteri, „cum puella *violenter* à domo patris abducitur, ut corrupta in uxorem habeatur, *sive puella* solummodo, *sive* parentibus tantum, *sive* utriusque vis illata constitit.

XLIV. Certum est non tantum raptus propriè dicti, qui fit per *violentam* abductionem puellæ; sed & stupri *violenti* per *oppressionem* puellæ pœnam esse non tantum simpliciter capitalem, sed & in modo esse graviorem ordinaria pœna capitali ex Tabulis legum Brabantia: ut scilicet ei, qui invitam virginem aut feminam stupraverit, *assere* cervix amputetur. Verba sunt: *Wie dat vrowven oft joffrouwen vercracht, men soude dem den hals af saghen met eender plancken.* „Hodie ferè ubique (ait Zypæus in Notit. Juris Belg. *De Adult.* & *Stupris*) gladio punitur tam ipse reus, quam qui opem præstant, & conniventes parentes, exilio.

XLV. Quia crimen raptus non tantum personas particulares lædit & offendit; sed & Republica admodum damnosum & nocivum est, hinc est quod tametsi rapta contraxerit Matrimonium cum raptore, etiam consentientibus parentibus, omniaque raptori fuerint ex parte puellæ & parentum condonata, propterea tamen actio criminalis non censetur extincta; potestque Fiscus adhuc adversus Matrimonio conjunctos *capitaliter* agere; uti notat Damhouderus in *Praxi rerum criminal. cap. 97.*

Observat nihilominus Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. De Raptu virginum numer. 3.* quod pœna criminalis, nimirum in quantum est *capitalis*, ferè per Matrimonium cesset; addens tamen *numer. 4.* se vidisse fiscali actione pulsatos, ut raptus reos, quamvis jam conjuges, & pecuniã criminis abolitum: *atque hæc* (ait) *in graviam, ut videbatur, Matrimonii.*

XLVI. Monet quoque Antonius Faber in Codice *lib. 9. tit. 7. Definit. 4.* quod „& si bene concordantia matrimonia nemo turbare debeat, ne publicis quidem accusator prætextu adulterii, quod ab altero ex conjugibus, altero non conquirente admittit esse dicatur, si tamen absente per multos annos viro mulier corpore suo quæstum vulgo faciat, liberosque suscipiat, quos nemo non sciat aut vulgo quæstos esse aut ex certo adulterio susceptos, ad procuratoris Fiscalis officium pertinet, ut rem deserat, & crimen quod publicè scandalo sit maloque exemplo, coerceri curet, sed ita demum si præcedat diffamatio. Nam si vulgo ignoretur, quis adulter sit, non est permittenda inquisitio, ut sciat, quis ille sit, punitur. Id enim solo marito requirente & accusante fieri potest.

XLVII. Plura de raptu prout constituit impedimentum Matrimonii; & quibus pœnis illi puniendum censuerit Synodus Tridentina, videri possunt *parte 2. tit. 13. cap. 9.*

XLVIII. Ulterius defloratio virginis, aut alius illicitus actus veneris specialem malitiam induit, si contingat inter personas conjunctas in gradu vetito consanguinitatis aut affinitatis: solletque hic actus vocari incestus.

Hinc dicit Gratianus post *Canonem 2. Caus. 36. qu. 1.* „Incestus est consanguinearum vel affinium abusus. Unde incestuosi dicuntur, qui consanguineis vel affinibus abutuntur.

De pœnitentia injungenda incestuosus agitur in *Can. 17. Caus. 33. qu. 2.* ubi una habetur incestum committi, cum ea quam de sacro fonte Baptismatis susceperit, aut cum illa, quam ante Episcopum tenuerit, cum sacro Chrismate fuerit uncta.

Van Espen *Jur. Eccl. P. III.*

Notandum tamen non omnem consanguinitatem aut affinitatem causare incestum; sed eam dumtaxat quæ ponit impedimentum dirimens Matrimonium: sive inter eos qui sunt consanguinei vel affines in gradu vetito.

XLIX. In Canonibus pœnitentialibus Sancti Caroli de incestuosus habetur: „Qui cum duabus sororibus, vel cum non-verca, vel cum sorore sua, vel cum amita, vel cum nuru, vel quo denique incestum admiserit, ab ingressu Ecclesiæ abstinere annuum unum: quo anno præter festos dies panem solum & aqua utetur, arma non feret, osculum nemini præbebit, sacram communionem nisi pro viatico non sumet; sex deinde annis Ecclesiam ingredietur, sed carne, & vino, & sicera non utetur, nisi festis diebus. Postea verò duobus annis quando carne vescetur, à potu vini abstinerebit: quod si biberit, carne non vescetur, nisi Dominicis diebus, & præcipuis festis: deinde usque ad obitum perpetuò præter festos dies à carne abstinerebit. Tres legitimas ferias singulis hebdomadis jejunabit, & quadragesimas tres singulis annis legitimè custodiet.

Deinde addit *Canone sequenti*: Qui incestum fecerit, ei alii annorum 12. alii 15. alii 10. alii 7. pœnitentiam constituant.

L. Observat Damhouderus loco citato *cap. 96.* „Quisquis hoc incestu se contaminat, is *capitaliter* puniendus est.

Verum sicuti non ejusdem malitiæ est omnis incestus; ipsaque malitia incestus augetur, vel diminuitur pro ratione gradus propinquoꝝ, vel remotioris, quo persona incestuose se consanguinitate aut affinitate contingunt; ita indubiè & pœna augenda vel minuenda erit, ut & ipse Damhouderus observat *num. 4.* Latius Antonius Faber *lib. 5. Cod. tit. 3.* per varias definitiones.

LI. Concordata Brabantia *tit. 9. cap. 24.* dicitur: „De crimine incontinentiæ cum Moniali, affini, consanguinea, cognoscet uterque iudex, seclusa aliã qualitate delicti, vis, raptus, vel similibus; quia tunc solus Sæcularis iudex cognoscit.

Hæc evincunt, crimen incestus esse crimen *mixti* fori; sed propter concurrentem crimen raptus aut oppressionis, sive violentiæ, reddi merè sæculare: eò quod tunc fiat crimen *capitale*: qualia crimina solent spectare ad cognitionem & punitionem iudicis Sæcularis.

LII. Crimen concubinatûs juxta hæc Concordata similiter *mixti* fori esse, saltem quando concubinatûs est notorius, indicat *articulus 22.* ubi dicitur: „De crimine concubinatûs notorius *preventioni* erit locus.

LIII. Ex his quoque verbis patet, concubinatûm hic habitum pro *crimine*.

Et sanè quamvis Jure Civili majoris mali evitandi causã *concubinatûs* aliquando toleratus sive non punitus fuerit, quatenus unica cum unico adulter uxoris citra Matrimonii vinculum cohabitaret, & carnaliter conversaretur, tamen is semper à sacris Canonibus fuit reprobatus, & à SS. Patribus pro gravi crimine habitus fuit.

LIV. Imo jam pridem leges concubinatûm permittentes à Leone, qui vulgo Sapiens dicitur, rejectæ sunt *Constit. 9. 1.* cuius hic titulus. *Ut concubinam habere non liceat.*

Imprimis in hac Constitutione dicit Leo, quod „ea lex quæ probrosè cum *concubinis* immisceri non erubescens id permittendum judicavit, honestatem suamque deque habuerit. Ne ergo (ait) hoc Legislatoris erratum dedecore nostram Rempublicam afficere sinamus. Itaque lex illa in æternam siteto. „Rationem deinde subijcit: „Ab illa enim non modo Religionis, verum etiam naturæ injuriã secundum Divina Christianisque convenientia præcepta prohibemur. Et quidem si cum fontem habeam, sobriè inde haurire Divino præcepto moneare: quã ratione, cum puras aquas haurire liceat, lutum tu mavis? Tum tamen fontem non habeam, rebus tamen vetitis uti non potes. Caterum vitæ consortem invenire difficile non est.

LV. Evidenter hic supponit Imperator, concubinatûm illum, quem lex Civilis non puniebat sive tolerabat, esse vetitum

vetum *jure Divino*; quod & Canonista & Theologi uno consensu docent, ipseque facer Textus non uno in loco expressit utpote omnem carnalem concubitum extra Matrimonium reprobans, ut infra paucis ostendetur.

LVI. Concubinatum manifestè tamquam reprobatum concubitum describit S. Augustinus libro 50. Homiliarum *Homil. 49.* ubi ita scribit: „Sufficiant vobis aut uxores, aut nec uxores: concubinas vobis habere non licet. Audiatur Deus, si vos furdi estis: audiant Angeli ejus, si vos contemnitis: concubinas vobis habere non licet: si audiant Competentes, quod dico Fidelibus, non habetis uxores, non licet vobis habere concubinas, quas postea ducatis uxores; quanto magis damnatio vobis erit, si habere volueritis & concubinas, & uxores dimittatis?”

Locum S. Augustini retulit Gratianus *dist. 34. Can. 6.* sed mutilatè uti ibidem notarunt Correctores Romani. Et *can. 32. qu. 2. Can. 5.* refert ex eodem sancto Doctore libro *De Bono Conjugali cap. 14.* „Concubina ad tempus adhibita, nec etiam si causa filiorum concumbant, justum faciunt concubinatum suum. „Plura tum ex ipso Augustino, tum aliis SS. Patribus docet Ferdinandus Mendoza *lib. 2. De Confirm. Concil. Eliberi. cap. 8.* quibus ostenditur, concubinatum semper fuisse reprobatum.

LVII. Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 8. De Reformat. Matrimonii* declarat, non tantum esse peccatum, sed grave peccatum, homines solutos habere concubinas; statuitque, Hujusmodi concubinarios, cujuscumque status, dignitatis & conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse; à qua non absolvantur, donec reipsa admonitioni factae paruerint. Quod si in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario severe pro qualitate criminis procedatur. Mulieres si conjugatae, si solutae, quae cum adulteris seu concubinariis publicè vivunt, si ter admonitae non paruerint, ab Ordinario locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpae puniantur, & extra oppidum vel diocelimum, si id eisdem Ordinario videbitur, invocato, si opus fuerit brachio saeculari, ejectione: aliis poenis contra adulteros & concubinarios infligendis, in suo robore permanentibus.

Ex his evincitur, simplicem concubinatum ab Ecclesia semper reputatum fuisse illicitum graveque peccatum; quantumvis Legibus Imperialibus non semper fuerit puni- tus.

LVIII. Observant Correctores Romani ad *Can. 4. Dist. 32.* apud Gratianum, olim aliquando dictas fuisse concubinas mulieres, quae vere essent uxores, atque revera maritali affectu habeantur; quia tamen in earum conjunctione non interve- nerant dotalia instrumenta, aliaque ad solemnem ritum nuptiarum ex Legum praescripto requisita, non appellabantur uxores: neque gaudebant Juribus quae uxoribus juxta solemnem Legum ritum acceptis deferbantur: creduntque hi Correctores de similibus concubinibus quosdam antiquos Canones in Decreto Gratiani occurrentes debere intelligi.

LIX. Insinuavit idiplum non obscure ipse Gratianus, praemittens haec verba: „Concubina autem, hic ea intelligitur, quae cessantibus legalibus instrumentis, unita est, & conjugali affectu adhaeretur; hanc conjugem facit affectus, concubinam verò Lex nominat.

LX. Refert quoque Gratianus citatà *Distinctione 34.* Canonem de Concubina sub nomine Isidori de Distantia novi & veteris Testamenti: sed, uti rectè advertit Jacobus Du Breuil Monachus Sancti Germani à Pratis, qui Opera S. Isidori revidit & excudi jussit: „*Lib. 1. Sent. cap. 22.* argumentum, est de differentia Testamentorum, non inde tamen desumptus videri potest hic Canon, ut neque ex differentiarum *lib. 1. diff. 28.*

LXI. Et licet Isidorus posteriore loco nonnullas assignet differentias inter utrumque Testamentum, nihil tamen

de concubinis dicit: quamvis negari nequeat, in veteri Testamento subinde vocari concubinas eas mulieres, quae erant veterae & proprie dictae uxores, sed minus solemnitè ductae, ita legitur *Genesis 25. 1.* quod Abraham duxerit uxorem nomine Ceturam, quae eodem capite vocatur concubina: Et Judicium *cap. 19. v. 1.* dicitur, Fuit quidam vir Levites habitans in latere Montis Ephraim qui accepit uxorem de Beethleem Juda. Quae hic & *v. 9.* appellatur uxor, & revera hujus Levites uxor erat, vocatur *v. 10.* ejus concubina. Indicium evidens, aliquas uxores tum etiam dictas fuisse concubinas.

LXII. A concubina distat illa quae vulgò meretrix dicitur, quod haec pluribus se prostituat; & quasi quaestum ex concubitu quaerat, illa verò uno tantum utatur. Meretrix quae multorum libidini patet, ait *Can. 16. Dist. 34.* Et ex Augustino *Canone 11. Caus. 32. qu. 4.* „Meretrices esse, & ad meretrices accedere prohibet Dominus, quarum publicè venalis est turpitudine.

LXIII. Cum meretrix si laicus solutus peccet, simplex fornicatio dicitur; quae licet hodie pro saevi peccato, vulgò reputetur, nihilominus certum est, fornicationis peccatum esse grave atque ab Apostolo numerari inter ea quae à Regno Dei excludunt, ad Ephesios *cap. 5.* dicente: Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus... non habet hereditatem in Regno Christi & Dei.

Uterius Apostolus gravitatem fornicationis astruit *1. ad Corinth. 6.* tribus praecipue argumentis.

Primum exprimit his verbis: Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollam ergo membra Christi, faciam membra meretricis. Abiit. Hoc enim est (ait S. Thomas in hunc locum) HORRENDUM sacrilegium.

Secundum argumentum desumit Apostolus ab ingenti libidine, quae peccatum hoc praeter ceteris committitur, expressum his verbis: Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur in corpus suum peccat:

Tertium contentum his verbis: An nescitis quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo? Quibus verbis enormitas fornicationis ostenditur ex eo, quod fornicari sit contaminare & profanare Templum Spiritus Sancti: idque cum insigni ingratitude in Deum; eo quod per fornicationem expellatur Spiritus Sanctus, qui tantà misericordià à Deo datus est.

LXIV. Sanctus Augustinus *Serm. 162.* in ult. edit. reflectens ad verba Apostoli pro secundo argumento superius allata, ait: „Videtur B. Apostolus exaggerare voluisse fornicationis malum SUPER CAETERA OMNIA PECCATA, quae etiam per corpus committantur, non tamen animum humanum concupiscentiae carnali ita efficiunt obstrictum & obnoxium... ut... solo hoc tantummodo fornicationis malo in corpus proprium peccati dixerit, quia MAJORIS LIBIDINIS ARDOR, QUO SUPERIOR NULLUS EST, voluptas ipsius corporis tenet servum, efficitque captivum &c.

LXV. Similiter S. Chrysostomus ad ea verba Apostoli, Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Abiit. „Nil est (ait) hac dictione terribilius. „Et rursus ad haec, Qui fornicatur in corpus suum peccat. „In fornicatione (ait) totum corpus fit sceleratum & execrandum. Tamquam enim incidens in lebetem immunditiae sordibusque & inquinamento tinctum, sic polluetur. „*Homil. 18. in Epist. 1. ad Corinth. cap. 6.*

Audiamus & Commentatorem in Epistolas Pauli apud Ambrosium ad haec verba: Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est. „Quia (inquit) caetera peccata, etsi per corpus committantur, non tamen animam ita carnali concupiscentia faciunt obstrictam & obnoxiam, quemadmodum commiseri facit animam cum ipso corpore usus libidinis, agens in opere carnalis fornicationis: nis: quia in tantum agglutinatur anima corpori, ut ipso momento nihil aliud cogitare homini liceat, aut intendere; quia ipsam mentem captivam subdit ipsa submersio & absorptio libidinis & concupiscentiae carnalis. Unde

subdi-

subditur: Qui autem fornicatur in corpus suum peccat. Ostenditur GRAVISSIMUM esse peccatum, quia ex hoc omne deperit corpus, in caeteris autem peccatis portio perit, non totum.

Ante hos omnes S. Cyprianus *Epist. 52.* fornicationis gravitatem adstruxit, ipsamque fornicationis causam pejorem esse quam libellatici asseruit: „Si se cordis & renis scortatore constituat & judicem, per omnia aequaliter judicet, &... fratricidat & mæchos à latere suo atque à comitatu suo separet: QUANDO MULTO GRAVIOR ET PEJOR EST MÆCHI QUAM LIBELLATICI CAUSA: cum hic necessitate, ille voluntate peccaverit: hic existimans sibi satis esse, quod non sacrificaverit, errore deceptus sit; ille Matrimonii expugnator alieni, vel lupanar ingressus... sanctificatum corpus & Dei templum DETESTABILI COLLUVIONE violaverit.

LXVI. Enormitas fornicationis etiam ex poenitentia ei per Canones Poenitentiales olim imposita, elucet. Inter Canones S. Basilii occurrit *Canon 59.* quo decernitur: „Fornicator septem annis sanctis non communicabit, duobus defensus & duobus substractus, & in uno consistens: octavo autem ad communionem admittetur.

Inter Canones à S. Carolo ex Poenitentiario Romano alii, quae libris mediæ ætatis, cum jam disciplina poenitentialis non nihil flaccescere coeperat, collectos habetur: „Si laicus solutus cum femina soluta concubuerit, poenitens erit annos tres: & quanto saepius, tanto majori poenitentia afficietur.

LXVII. Tamen non omnia crimina carnis sint fori Ecclesiastici, neque juxta hodiernam disciplinam laici propter quaecumque carnis peccata coram illo tribunali accusari & puniri soleant, tamen Episcoporum & Pastorum est allaborare, ut peccata haec eorumque occasiones & incitamenta eliminentur; meretrices & lupanaria è suis Diocesis & Parochiis, quantum possibile est, eliminando: libros cantilenas, statuas, imaginesque ac similia veneris incitamenta proscrubendo: patres & matres familias, nec non magistros & magistras, qui hujusmodi libros obscenos vel in filistris, vel domi legi, aut imagines sive statuas exponi permittunt, haud facile ad reconciliationis beneficium admittunt, quamdiu hæc in familiis aut domibus suis permittunt. De conventibus personarum utriusque sexus, quæ solent esse impudicitiæ prostibula, multis actum est *parte 2. tit. 17. cap. 6.*

Sane vel ipsæ Leges Romanae ipsos Christianos, & praesertim Episcopos & Pastores excitare deberent, ut quantum in ipsis est, amoveatur è publico quicquid castitatem offendere posset. Hæc enim Leges adeo castæ fuerunt, ut ne nudum quidem militem in flumine lavari permittant in conspectu exercitus *L. 12. Cod. De Re Militari lib. 12.* „Ne deproperans publicos oculos nudatus incesset, sed procul à cunctorum obtutibus in inferioribus partibus fluviorum hoc ipsum faciat.

Ad hæc verba reflectens Dionysius Gothofredus in notis ait: „Quod summo sanè pudore factum, quodque hodie probro est, in militibus etiam nudata corpora non tulisse, qui summam in verecundiâ nudos omnimodo in publicis fluviiis lavari ætate sinimus & spectamus.

Eandem Legem refert Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. ad Legem lul. De Adult. num. 5.* ait: „Quod & castarum Civitatum Edictis saepius proclamatur, sed non usquequaque servatur: „negligentiâ Magistratum & Superiorum: qui utinam serio attendere peccata ex publica illa membrorum nuditate provenientia; & quomodo sita in exequendis Edictis negligentia eorum efficiantur participes.

LXVIII. Si per peccatum carnis violetur persona Deo specialiter consecrata sive dicata, tunc peccatum hoc habet rationem sacrilegii, in quantum est violatio rei sacræ; id est, rei Deo specialiter consecratae aut dicatae.

Hoc titulo fornicatio, adulterium, aliudve peccatum carnis commissum à persona voto castitatis obstricta & Deo consecrata, præter rationem fornicationis, adulterii alteriusve peccati carnis, habet insuper rationem sacrilegii; novamque ac distinctam malitiam peccato carnis addit.

Hinc fornicatio cum Moniali voto castitatis adstricta, de jure Civili etiam poenâ mortis punitur; quod & Statutis Ducatus Mediolanensis expressum est; & disponunt communiter Statuta per Italiam, teste Julio Claro *lib. 5. Recept. Sent. 9. FORNICATIO num. 17.*

In Concordatis Brabantiae *tit. 9. art. 24.* dicitur: „De crimine incontinentiae cum Moniali... cognoscat uterque iudex seclusâ aliâ qualitate delicti, vis, raptus vel simili, quia tunc solus Saecularis iudex cognoscat.

LXIX. Porro quò major sanctitas requiritur in persona aliqua, eò quoque enormior est violatio, quâ sanctitati personae detrahatur; ipsaque persona speciali ratione sanctificata & Deo consecrata profanatur. Hinc præ caeteris peccatis sacrilegii enormius est peccatum carnis, quo ipsa Sacerdotum sanctitas violatur, & membra specialiter Deo consecrata sunt membra meretricis.

Quare multis saeculis sanctissime servatum fuit, ut si quis Sacro Ordine initiatus peccato carnis se pollueret, atque membra Deo sacra profanasset, in perpetuum ab omni Ecclesiae ministerio deponeretur, ut nec post actam poenitentiam restitueretur, uti notatum fuit *parte 2. tit. 10. cap. 6.* & laudis probatum in Dissertatione *De Canonicis parte 2. cap. 2.*

Quibus poenis in foro externo hodie subjaceant & puniendi sint Clerici, qui mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinent, aut cum iis ullam constitutionem habere audent, petendum ex Concilio Tridentino *Sess. 25. cap. 14. De Reformat.* ubi modus procedendi contra Clericos de hoc crimine suspectos, eosque puniendi praescribitur, adhibita distinctione inter Clericos Beneficiatos & non Beneficiatos.

Satis constat ex modo procedendi adversus Clericos Beneficiatos juxta praescriptum Concilii Tridentini, Concilium non omnem Canonum rigorem suo Decreto expressisse; quemadmodum post Martinum Navarum notavit Zerola in Praxi Episc. verbo *Concubinarius.* Unde non sine fundamento creditur hoc Decretum unum esse ex iis quae temporum miseria, & duritia à Patribus extorsit.

Insuper & hoc notandum, Decretum illud quoad priorem suam partem, non procedere quando Clerici fornicatio adjunctam habet aliquam specialem circumstantiam aggravantem; puta in Sacerdote cognoscente suam filiam spiritualem; vel eam quae propter Sacramentum Poenitentiae effecta fuit sibi filia spiritualis; vel Parochianam suam; sed his casibus deponi potest, uti notavit Zypæus in Jure Novo *De Cohabit. Cleric. & mulier. num. 12.* additque: Idem in Religiosis fornicantibus.

CAPUT V.

De Blasphemia, perjurio & aliis nonnullis Delictis Ecclesiasticis.

- 1 Quid Blasphemia.
- 2 Maledicta in Sanctos & res sanctas etiam Blasphemia nomine veniunt.
- 3 Omne contumeliosum in Deum dicitur Blasphemia.
- 4 Constitutio Gregorii IX. in Blasphemos contra Deum & Sanctos.
- 5 Poena Blasphemiae ex Capitularibus Regum Francorum.
- 6 Crimen hujus atrocitatem ostendit sacer textus.
- 7 Poena Blasphemiae ex constitutione Justiniani ultimum supplicium.
- 8 Eadem poena renovata in Capitularibus Regum Francorum.
- 9 Crimen hoc dicitur minus puniri ob defectum Religionis & justitiae.
- 10 Reprobatur consuetudo Blasphemos minus puniendi.
- 11 Quae poena in Hispania puniuntur Blasphemii.
- 12 Quomodo contra Blasphemos procedatur in Gallia.